Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8453
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

in commune consentiant ·
Si enim iuxta apostolum spiritus pugnat contra carnem
et caro contra spiritum · quomodo
hic dicit cor meum et caro mea exul-
tauit hoc non potest dicere nisi ille
qui in amore dei totam mentem fixus est.
Cor meum et caro mea illud est quod
dicit et in alio loco · Sitiuit in te
anima mea quam multipliciter tibi
caro mea; Cor meum et caro mea
Ista est caro quae desiderat dominum · de qua
in alio loco dicitur · et uidebit om
nis caro salutare dei · Illa autem caro
de qua dicitur omnis caro fenum
non desiderat dominum · Cor meum et caro
mea uidentur aliquem abstinentem que
mortem carnis suae lucrum pu
tat animae suae · hoc autem carnis
sunt ieiunia et iniuriae ·
Denique et apostolus quid dicit quem tradidi
satanae in interitum carnis ut
spiritus saluus fiat nisi caro mortua
fuerit spiritus uiuificari non potest.
Propterea dicit et apostolus quando infirmor
Tunc fortis sum · considerate unus
quisque quando ieiunio lassus est.
et defectur · quomodo anima ui
geat quomodo nihil aliud mens nisi dominum
considerat quomodo semper dicat
Quam dilecta tabernacula tua domine uir-
tutum · Et enim passer inuenit sibi domum

Et turtur nidum sibi · ubi ponat
pullos suos · Interim simpliciter
interpraetemur · Uidete quid dicat
desiderio domine ad aeterna tabernacula
tua · Concupiscit et defecit anima
mea in atria domini · Sed et in aliquam et
nidulum animae meae et corpori meo
habere desidero aue atque liberae huc
atque illuc uagantur · Tamen postquam
uolauerint habent locum et nidulos
ubi requiescant quanto magis anima
et caro mea debet sibi locum praeparare
ubi possit requiescere,
Nunc aliquid altius ascendamus · In
domino confido quomodo dicitis animae
meae transmigra in montes sicut
passer · Uidete ergo quoniam nemo trans
migrat in montes nisi qui passer est.
Et turtur nidum sibi ·
Iste est turtur de qua dicit in canticum canticorum
uox turturis audita est in terra
nostra turtur nidum sibi turtur ani
mal castitatis · turtur non habitat
in humilibus sed semper facit nidos sibi
in excelsis arboribus · Sicut ergo
passer et turtur aues castissimae
nidos sibi in sublimioribus faciunt
Sic ergo tabernacula et atria et domus
non sunt in humili ista terra sed in ex
celsis hoc est in regnis caelorum ·
Denique uide quid dicat.